DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS ARMSTRONG,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.—NECNON SOC.

HIBER. MED. SOC. EXTRAORD.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.

PATRI SUO,

PARENTUM OPTIMO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS PIETATISQUE

MONUMENTUM QUAMVIS TENUE,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

ERRATA.

Pag. 10. *lin.* 2. *pro* vera *lege* vero.

Pag. 16. *lin.* 8. *pro* eum *lege* id.

For Mr Lawler with
Compts. from the Author

DISSERTATIO MEDICA.

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

ANDREA ARMSTRONG Auctore.

ETIAMSI morbus, quem hujus Dissertationis argumentum selegi, medicis olim innotuit, vix tamen aliquid de eo distincte scriptis tradiderunt, naturam ejus omnino fere ignorantes. Recentiores autem, non immerito operam, huic morbo, diligenter dederunt; et etiamsi nulla inventa fuisse remedia, in plerisque vel exemplis fausta, dolendum est; naturam tamen et causas morbi, atra adhuc cali-

gine immerſas, magna ex parte in lucem prodiderunt.

Inter hos certe primus Dr Whytt *, hiſtoriam morbi accuratiſſime tradendo, medicos, ad ejus veram inveſtigandam naturam, inſtagavit. Petit † equidem ingenioſus, nonnullos ante annos, multa hujus morbi indicia enumeravit, at minus diſtincte et ordinate.

Poſt Whytt, alii de eo ſcripſerunt medici, ſub variis titulis Hydrocephali Interni, Hydrocephali Acuti, et nuperrime, bene conſiderata morbi natura, haud inapte phreniculam appellat cl. Ruſh; hic vero nomen apoplexiæ hydrocephalicæ, a ſagaci CULLENO traditum, ſelegi, quippe naturam morbi veriſimilem refert, et in ejus opere noſologico, ſic definitur, " Apoplexia Hydrocephalica, paulatim ado-

" riens

* Obſervations on Dropſy of the Brain.

† Vid. Mem. de l'Acad. de Sciences, 1718.

" riens infantes et impuberes primum laſſitu-
" dine, febricula, et dolore capitis, dein pulſu
" tardiore, pupillæ dilatatione et ſomnolentia
" afficiens." Huic forſan definitioni ſi non nimis prolixum redderet, addi poſſet ſtrabiſmus, et pulſus finem verſus citatiſſimus.

Impuberes, præ aliis, huic affectioni obnoxios eſſe, apud omnes conſtat, et fortaſſe ætatem, quæ ſecundum inter et nonum, aut decimum, jacet annum, præcipue adoritur, nonnunquam autem ætate multo provectiories aggreditur; adoleſcentem quendam octodecim annos natum, ego ipſe vidi, huic ſuccumbere morbo, et non deſunt exempla ubi viceſſimum inter et triceſſimum, aut imo quadrageſimum impetum facit annum.

Vix ullum corporis habitum aut temperamentum, huic morbo proprium indicare poſſumus, tamenetſi a nonnullis ſagaciſſimis

medicis, eos præcipue afficere dicitur, quibus mens acuta et vivida præ annis fuit, et corpus vegetum et alacre. Labe ſcrophuloſa haud raro concurrere repertur.

Hæredetarius non dici poteſt, multa tamen non deſunt exempla infantum in eadem domo correptorum, ubi vero nulla morbi veſtigia in parentibus aut eorum cognatis, indagari poſſent; et rem ſane mirum, narrat Quinn, nempe omnes ex iiſdem parentibus periiſſe mares, dum incolumes degere puellæ, quod forſan pendebat ex cauſis morbi excitantibus, illis ſolum applicatis.

Quod ad acceſſionis tempus, et durationem morbi attinet, non adeo inter omnes convenit medicos, et præcipue inter cl. Whytt et Fothergill (utroſque maxima fide dignos) diſcrimen eſt; hic (Whytt ſcil.) tardis fere paſſibus invadere, et per ſex vel ſeptem hebdomadas protrahi

protrahi putat; alter vero, vix unquam ad diem viceſimum octavum durare, et plerumque intra diem viceſimum primum finire autumat. Hic imprimis notatu dignum eſt, morbi progreſſus in infantibus tardiores eſſe quam in adultis; et hinc judice Quinn, ratio petenda eſt diſcriminis inter auctores quorum nunc mentionem feci; Whytt ſcil. opinionem de morbo ut infantibus, Fothergill autem ut in adultis occurrit, formans; in duobus ægrotis, quos nobis contigit videre, hoc morbo correptis, tam diſpar fuit ejus durationis tempus, ut neminem latuiſſe poſſet, in uno nempe, annos novem tantum nato per totum menſem, in altero vero anno circiter ætatis octodecimo, per dies tantum ſedecim, duravit morbus. Nos certiores facit cl. GREGORY *, ſe morbum inveniſſe, per tres menſes durare, ubi inciſo capite ejus natura pro certo apparuit; ſed hoc, quantum ſcimus, rariſſime accidit.

His

* In ſuis Prælect. Acad.

His jam præmiſſis, nunc ad ſymptomatum enumerationem progredimur, et Whytt ſecuti in tria dividimus ſtadia, pulſus varietatibus præcipue indicata.

Stadium Primum. Incipiente hoc morbo, languet, habeſcit, et pallidus fit æger; dein afficitur anorexia, nauſea, et vomitu, ſemel biſve in die; de dolore capitis, ſupra oculos præcipue, et ſupercilia, conqueritur. Sitis adeſt, ut et cutis calor; et lingua nunc albeſcit, nunc vero inſigniter nitet, et ſæpe morbi finem verſus rubedine aphthoſa obducitur *. Arteriæ frequentiores micant, et ſæpe ad centum, centum et viginti, imo nonnunquam ad centum et quadringinta, in horæ minuto, appropinquant, ſicut vult Whytt; teſtibus autem Fothergill et Quinn, non ſemper per paucos dies, ineunte morbo, acceleratur pulſus. Plerumque regularis eſt, et modice plenus. Nunc urget

* Vid. Whytt on Dropſy of the Brain, p. 12.

urget febris, et calor cutis, ſæpe cum genarum ſuffuſione, augetur. Alvus plerumque pertinaciter adſtricta eſt, catharticis difficillime movenda; modo autem adeſt diarrhœa cum torminibus. Dolores capitis nunc ſæpe cum ventriculi affectionibus alternant, et levamen ſibi mutuo miniſtrant.

Hæc jam enumerata, excipiunt lucis impatientia, et pervigilium. Naſum æger unguibus carpit, dentibus frendet. In hoc ſtadio minus frequenter apparet ſtrabiſmus, aut papillarum dilatatio, morbi certiora indicia; ſed delirium aliquando ferox, præſertim in adultis, haud raro ſupervenit.

Stadium Secundum. Res ita ſe habere per aliquot dies numero incertos perſtant, quum morbus aliam quodammodo induit formam, et quod ſecundum dicitur ſtadium, formatur. Nunc pulſus arteriarum, adhuc veloces et æ-

quales,

quales, præter naturam tardi et inæquales evadunt, et quo fere tardiores eo minus æquales, quoad vires ut et ictuum intervalla. Calor cutis, etiamſi pulſus mirum in hunc modum tardeſcat, prorſus imminutus manet, imo aliquando pauxillum augetur. Omnia fere prioris ſtadii ſymptomata adhuc manent, et nonnulla, in pejus ruunt, alia vera nova occurrunt. Oculorum ſenſibilitas multum imminuitur, et pupillæ dilatantur. Apparet ſtrabiſmus, et oculis, modo naſum verſus, modo extrinſecus, contortis, ex uno duo ſe videre putat æger; perpetuo luget, et quaſi perterrefactus, graves edit gemitus; adhuc ſomniculoſus, nunc prorſus comatoſus fit. Alvus adſtricta manet, nonnunquam vero dejiciuntur vermes, ægri miſeriis haudquaquam levamen ferentes. Sub hujus ſtadii finem ventriculus plerumque ingeſta retinet, et æger ſibi porrecta avide devorat *.

STADIUM

* Vid. Quinn on Dropſy of the Brain, p. 39.

Stadium Tertium. Pulſus, ingraveſcente morbo, tertiam et poſtremam mutationem ſubeuntes, nunc denuo æquales fiunt, ſed adeo frequentes et debiles ut vix enumerari queant; ſemper fere ante mortem, ad centum et triginta in horæ minuto appropinquare obſervantur. Augentur nunc coma et torpor, et æger difficillime excitatus, pauca tantum parum cohærentia verba murmurat. Reſpiratio lenta et difficilis fit, ſæpe præſertim in adultis, ſtertori apoplectico quam maxime ſimilis. Oculorum affectiones in pejus ruunt, et ſæpe una alterave palpebrarum paralytica fit. Pupillæ admota luce etiam vividiſſima, ne minime quidem ſeſe contrahunt; imo nonnunquam plus dilatari obſervantur *; ſæpe tunicæ conjunctivæ utriuſque oculi inflammatæ apparent, et in uno exemplo, quod vidit Whytt, ſanguis ſemel biſve naribus effluit. Alvus adhuc adſtricta in hoc ſæpe ſalvitur ſtadio, et torminibus

 afficitur.

* Monro in Prælect. Acad.

afficitur. Genarum altera nunc rubore ſuffunditur, altera vera pallida fit, et aliquando hic et illic in corpore apparent maculæ rubræ. Deglutitio difficilis fit; urina et fœces inſcio ægro redduntur; lingua et fauces rubeſcunt; et ſubſultus tendinum, hanc infelicem claudunt ſcenam.

Hoc fere modo, morbo infeliciter ad exitium eunte, ſuum abſolvit curſum Apoplexia Hydrocephalica; hic vero, ut in omni alio fere morbo, varietates bene multæ quoad ſigna obſervantur, quorum præcipua nunc enumerare aggrediar. Ægros interdum videre contingit, quibus per totum morbi decurſum, nec vomitus, nec delirium, nec ſtrabiſmus, nec pupillarum dilatatio occurrit *. Nonnulli ſed rariſſime equidem, dolore capitis et pulſus varietatibus prorſus immunes ſunt. Alii, intermittentibus omnibus morbi indiciis, haud ſine fructu

fructu cortice peruviano usi sunt *; et denique exemplum morbi vidit Paisley, ubi pulsus proximo ante mortem die, tardus et intermittens fuit.

INSPECTA CEREBRA.

In omnibus fere hujus morbi exemplis, unciæ aliquot humoris limpidi, intra cerebri ventriculos, præcipue laterales, inveniuntur; copia ejus multum variat, et nunc duas tantum, nunc autem octo, pluresve uncias, æquat; perraro inter cerebri aut cerebelli superficiem et eorum tunicas, seu meninges uti appellantur, reperitur. Quod ad hujus humoris naturam attinet, calore non coagulari invenit Whytt, secus ac in effusione hydropica thoracis aut abdominis accidit; hoc autem acidis fieri posse, comperti sunt Dres Monro et Baillie; coloris

 sæpe

* Quinn on Dropsy of the Brain.

ſæpe expers eſt, alias vero ſufflavus, alias ſubruber.

Hic autem, ut res ſummi momenti, ad hujus morbi veram confirmandam naturam, notanda eſt, hanc effuſionem aquoſam non ſemper evenire: et hoc præter alios teſtantur Quinn et Gregorius noſter; vaſa vero cerebri tunc multo turgent ſanguine, et varia apparent inflammationis ſigna; ſæpe adhæſiones, duram inter et piam matrem, obſervantur, veluti in pneumonia, pleuram pulmonalem inter et pleuram coſtalem, accidit; et præterea non raro cerebri tunicæ hic et illic cruſta teguntur inflammatoria *. Sæpe in variis cerebri, cerebelli, aut duræ matris partibus, tumores, nonnunquam in ſuppurationem euntes inveniuntur; unum vidit Whytt in thalamo dextro nervi optici, et alter Paiſley occurrit in dura matre, ubi dolor, dum vixit æger, maxime acutus

* Quinn on Dropſy of the Brain, p. 51.

acutus fuit. Glandulas, pinealem, et pituitariam, ſæpe tumefactas conſpexerunt Petit et Monro.

DIAGNOSIS.

In omni morbi, naturam ejus quamprimum ſtatuere, ſummi momenti eſt, ſed nullo majoris quam in hoc, quippe cui nulla fere proſunt remedia, niſi tempeſtive adhibita. De ejus autem natura, per primos morbi dies, vix, aut ne vix quidem, judicandum eſt; et variis ſignis a febre leni, vermibus inteſtinorum, aut dentitione difficili orientibus, confundi queat.

Si vero lenta febris, nauſea, vomitus ſemel biſve in die, et dolor capitis, leni emetico aut cathartico non alleviantur, aut prorſus amoventur, et præſertim ſi adeſt lucis impatientia, hic dirus metuendus eſt morbus.

Dentitioni

Dentitioni difficili multa ſunt ſigna cum incipiente Apoplexia Hydrocephalica communia; in priore autem alvus facile movetur, in altero ſecus accidit; in dentientibus gingivæ rubræ et tumidæ apparent, et infantes ægroti digitos continuo intra ora immittunt; convulſiones porro, quæ primis ſaltem Apoplexiæ Hydrocephalicæ diebus, vix unquam, hic ſæpenumero occurrunt.

Hunc morbum inter et verminationem imprimis difficilis eſt diagnoſis; in verminantibus autem totum dolet caput, et obtuſe: alvus plerumque ſoluta eſt, et ejicitur mucus; his vero Apoplexia Hydrocephalica laborantibus, dolet una tantum capitis pars, et acute, alvuſque pertinaciter adſtricta eſt, rariſſime equidem cibos appetunt, et dolor abdominis affectionem capitis ſequitur; verminantibus autem ſæpe canina eſt cibi appetentia, et primum afficitur abdomen, dein caput.

His

His igitur attente perpenſis, morbum plerumque de quo agitur ab aliis dignoſcere poſſumus: nulla vero ſupereſt de ejus natura dubitatio, ſi ſigna ei propria, ſcilicet ſtrabiſmus, pupillarum dilatatio, et pulſus adhuc frequens nunc tardus et intermittens, compreſſionem cerebri indicantia ſeſe obtuliſſent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ in Prædiſponentes et Excitantes dividuntur.

Prædisponentes. Labem quandam congenitam huic morbo proclivitatem dare ſatis veriſimile eſt; quid vero hæcce eſt, nullus adhuc explicavit medicus. Tantum vero pro certo notum eſt, nempe, labem ſcrophuloſam prædiſpoſitionem dare, nam ex viginti et duobus, hoc morbo correptis, undecim manifeſte

ſcrophuloſas,

ſcrophuloſas, treſque alios ſigna ejus præbentes, invenit Dr Percival.

Excitantes. Has inter multæ, ſatis ſuperque obſcuræ, enumerantur. Hic autem evidentiores tantum, in animo eſt notare, et in eas actionem ipſi cerebro directe habentes, et eas indirecte tantummodo aut per reliquum corpus eum afficientes, uti docet Ruſh, dividimus. Inter primas ſunt ſequentia; caput diu demiſſum ut in nonnullis ludis puerilibus frequenter accidit; ictus capiti ipſo ab externo illatæ; et repercuſſa tinea capitis, unde oritur congeſtio interna, et cujus unum nobis memorat exemplum Gregory. Ad ſecundum vero cauſarum genus, aut eas quæ indirecte agunt, pertinent febres aut continuæ aut intermittentes, rheumatiſmus, pertuſſis, phthiſis pulmonalis, variola, rubeola, ſcarlatina, verminatio, et nonnullæ aliæ quæ minus in aperto ſunt;

quicquid

quicquid denique impetum ſanguinis caput verſus auget cauſa hujus morbi concitans eſſe poteſt.

CAUSA PROXIMA.

WHYTT, nonnullique alii medici analogia judicantes, cauſam hujus morbi proximam eandem eſſe, ut in aliis exemplis hydropicis, putarunt. Longe aliam vero de ejus natura opinionem, primus propoſuit Quinn *; nempe morbum initio, ex inflammatione vaſorum cerebri, oriri; et ſi hanc opinionem inimus, multorum incipientis morbi ſignorum, rationem facile reddere poſſumus, quod non aliter perſpicue fieri poteſt. Ut huic opinioni accedamus, ſuadent quoque cauſæ morbi excitantes, quæ caput verſus impetum ſanguinis augent: ut et ætas, quam plerumque adoritur morbus, nam nunc, (ut

* Vid. Theſaur. Med. vol. 4. p. 142.

verbis cl. Rush utar), " The peculiar size and " texture of the brain, seem to invite the in- " flammation and effusions which follow debi- " lity, to that organ in childhood, just as the " peculiar structure and situation of the lungs " invite the same morbid phenomena after the " body has acquired its growth in youth and " middle life." Hanc equidem ineuntis morbi veram esse naturam, una res, laticis aquosi non semper post mortem reperti, ex seipso fere probaret; tunc vero vasa cerebri multo turgent sanguine, et alia inflammationis signa apparent. Hinc igitur concludere licet, effusionem hydropicam, ubi in hoc evenit morbo, inflammationem sequi, et ergo non mali causam esse, sed effectum; hæc vero effusio semper fere accidit, et nunc, multorum signorum a compressione cerebri orientium, pro causa jure habenda est.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Nausea et Vomitus,—oriuntur ex nexu prorsus fere inexplicabili cerebrum inter et ventriculum, adeo ut quicquid unum, alterum quoque mox afficit; sic in omni fere vulnere capitis, cerebrum afficiente, vomitio frequens occurrit. Hic vero afficitur cerebrum, ex aucto caput versus impetu sanguinis, et dein inflammatione: hinc quoque ratio febriculæ in aperto est, nam, ut in aliis inflammationibus, oritur ex irritatione toti systemati sanguifero dato.

Capitis Dolor,—ex nimia vasorum encephali plenitudine et distentione enascitur.

Lucis Impatientia et Vigilia,—eadem ex causa pendere videntur, nempe aucta sensibilitate cerebri et retinæ, ex eorum vasis san-

guine turgidis; nam quo plenior est aliqua pars sanguine, eo acriori gaudet sensu; sic in phrenitide, ubi adeo vehemens est cerebri inflammatio, hæc signa nunquam non adsunt. Explicationi hujus symptomatis, a cl. Whytt propositæ, non accedere possumus, nempe ex effusione laticis intra cerebri ventriculos laterales, thalamosque nervorum opticorum irritantis, oriri. Hanc causam potius sequeretur visus imminutus; et hoc revera, effusione facta, mox accidit, nam nunc

Pupillæ dilatantur,—ob nervos opticos et retinam insensiles hac compressione factos; pupillæ vero, tantummodo sese contrahunt, ex lucis stimulo retinæ ipsi prius applicato, et nunc igitur dilatantur.

Strabismus—sequitur ex paralysi quorundam musculorum oculos moventium; et nunc, e necessario, æger ex uno duo se videre putat,

quippe

quippe radii lucis, non in consentientibus retinæ punctis, impingunt.

Ictus arteriarum, secundo morbi stadio, tardi et inæquales fiunt, ob læsa cerebri, et generis nervosi munera, ex humore effuso: hinc omnes corporis partes, suam omnino fere amittunt irritabilitatem, et ergo non usitatis parent stimulis. Eadem certe est ratio cur alvus difficillime catharticis moveatur, et respiratio tarda fiat.

Dentibus frendent, et nares carpent ægri, propter consensum per nervum intercostalem has inter partes et intestina, unde sæpe per morbi decursum dejiciuntur vermes. Alia vero forsan ratio dari potest, cur nares carpent ægri, nempe siccitas, et inde pruritus, membranæ narium mucosæ, arteriis ejus secernentibus haud ad munera paribus, propter defectum vis nervosæ ad omnes secretiones tam necessariæ.

Omnium

Omnium hujus morbi signorum, explicatu difficillimum habetur aucta pulsus celeritas in stadio ejus tertio, et jure, nam si in secundo stadio pulsus tardi causa fuit compressio, cur non nunc, aucta compressione, pulsum adhuc tardiorem redderet? Autumat Whytt, distentionem, certum ultra modum auctam, cerebri fibras medullosas adeo lædere, ut ictus arteriarum citatiores redderet; sed ut idem, in plerisque aliis morbis ante mortem accidit, communem forsan in omnibus agnoscit causam, quæ nobis esse videtur postrema, et prorsus mira actio, naturæ, omnes ejus potestates excitantis, ad vitam tuendam.

PROGNOSIS

In omni fere exemplo infausta est, et quo diutius duraverit morbus eo plus periculi. Ne unum sanare potuit Whytt, et eandem rem

nobis

nobis ingenue, uti ſolet, fatetur GREGORY; ne Profeſſori etiam MONRO melior fuiſſe videtur fortuna; nam ex viginti et duobus, hoc morbo correptis, nullos ad ſanitatem reſtituere potuit. Alii vero medici, ſe morbum ſanaviſſe teſtantur, et inter alios Profeſſor noſter DUNCAN *, ſed in caſu qui huic occurrit medico, ægro manebat, et adhuc manet ſtrabiſmus. Se nuperrime morbum ſæpius ſanaviſſe dicit Ruſh.

METHODUS MEDENDI.

QUONIAM, ut ſupra diximus, hujus morbi natura, ipſo initio, tam dubia eſt, tutiſſimum videtur, aut emeticum, aut catharticum, prout res poſtulant, primo propinare; lenis vero eſſet emeticus, ne cerebri inflammatio ſi adeſt, augeatur; inter purgantia autem hydrargyrus muriatus

* In Prælect. ſuis Clinicis.

muriatus mitis æque huic morbo, ac vermibus inteſtinorum convenit.

Si vero hæc nil valeant, et inſtare morbum opinamur, tunc duo conſilia medendi indicari videntur:

1*mo*, Inflammationi cerebri obviam ire;

2*do*, Abſorptionem laticis intra cerebri ventriculos effuſi promovere. Pauca tantum de his nunc dicere reſtat.

Consilium Primum. Hic regimen antiphlogiſticum, uti inter medicos appellari ſolet, in omni fere inflammatione neceſſarium, ſtricte obſervandum eſt; quomodo vero hic abſolvitur, cuique etiamſi adhuc in medicina tyroni, ſatis ſuperque notum.

Ad inflammationem et congeſtionem in capite diſcutiendam, ſanguinis detractio imprimis neceſſaria videtur, cum ex toto ſyſtemate, tum

ex

ex capite ipſo. De venæſectionis autem utilitate non adhuc inter omnes convenit medicos, et varias ob cauſas, nempe morbum infantes et impuberes potiſſimum adoriri, qui talem ſanguinis detractionem ægre pati poſſint; ob debilitatem, quæ ſemper per morbi decurſum ſequitur; et demum propter incipientis mali, quum talis evacuatio tantummodo utilis foret, incertam naturam. Feliciter vero cl. Ruſh, miſſo omni timore, nunc modica, nunc autem liberali venæſectione, ſeptem hoc morbo correptos, ad ſanitatem reſtituit. Si igitur medicus tempeſtive advocatus ſit, et præcipue ſi æger validus et plethoricus, mittatur ſanguis e brachio, et repetatur prout res poſtulent, aut ægri vires finent. Sin vero aut debilis ſit æger, aut morbus per plures jam duraverit dies, et ſecundum verſus appropinquat ſtadium, omittetur venæſectio, et applicentur utriſque temporibus, vel hirudines, vel cucurbitulæ cruentæ; et profecto etiamſi jam ſanguis e brachio miſſus

fuerit, detrahenda tamen eſt minor ejus copia, ex capite ipſo, admotis hirudinibus aut cucurbitulis cruentis; quippe ſic vaſa cerebri ſanguine turgida, magna ex parte exonerantur.

Cathartica, in hoc morbo ubi fere ſemper pertinaciter adſtricta eſt alvus, haud leve prebent levamen, nam actionem totius ſyſtematis ſanguiferi inflammatoriam minuunt, et fluida, e capite, inteſtina verſus derivant. Horum autem optimus eſt hydrargus muriatus mitis, nam abſorptionem, ut et alvi ſolutionem, promovet; ſed de eo fuſius infra dicemur.

Veſicatoria, omnium conſenſu, in partium internarum inflammationibus imprimis utilia ſunt, et hoc igitur morbo nunquam omittenda: et melius, ut opinamur, applicari poſſint, ſanguine prius localiter detracto, nam nunc eorum ſtimulus minus nocet. Curentur poſtea partes exulceratæ unguento infuſi cantharidum, ut pro-

moveatur

moveatur ſeri fluxus. Eodem conſilio ſetacea ſæpe nuchæ inſeruntur, ſed eorum effectus tam tardi ſunt, ut, morbo jam inchoato, vix aliquod levamen ex eorum uſu ſperandum eſt; valeant vero quantum valère poſſint.

Hæc præcipua ſunt remedia, inflammationem cerebri verſus, valentia; forſan caput ipſum refrigerare aqua frigida cum aceto, aut glacie, uti commendat Ruſh, utile foret; et demum idoneo corporis ſitu, impetum ſanguinis per arterias caput verſus impedire, et ejus reditum per venas expedire.

Consilium Secundum. Ad abſorptionem laticis intra cerebri ventriculos effuſi promovendam, varia commendantur medicamenta ut in aliis hydropis exemplis; et præter cathartica et veſicatoria jam recenſita, diuretica et errhina adhiberi ſolent, vix aliquod vero levamen ex eorum uſu ſperandum eſt; et ſola ſupereſt

ſpes ex adminiſtratione liberali hydrargyri; eum plerumque parum valere putat cl. MONRO, et hoc certe ex ejus experimentis ſatis ſuperque conſtat, nam in viginti et duobus hujus morbi exemplis, hydrargyro fruſtra uſus eſt *. Non nimis vero certum eſt, optatos nonnunquam reſpondiſſe effectus, ut multi teſtantur medici; et in exemplo morbi, cujus ſupra mentionem feci, ut Profeſſori occurrit DUNCAN, æger, ſalivæ fluxu ex uſu hydrargyri prius inducto, convaluit. Nunquam igitur omittendus eſt, nam ſemper melius eſt anceps, quam nullum remedium. Hic vero notandum eſt, ægros torporem propter totius ſyſtematis, eo difficillime affici, copia igitur ſolito majori, forma pilularum ut et unguenti, adhibendus eſt.

A nonnullis medicis, in hoc morbo commendatur digitalis purpurea, quæ virtute diuretica tam inſigniter pollet, nullo licet cum fructu quantum

* Vid. Monro, Treatiſe on the Brain.

quantum ſcimus, etiamſi urinam ipſam moveat * ; ſed repetita adhuc deſunt experimenta ut de ejus utilitate certo judicemus.

Huic venienti occurrere morbo, quam adſtanti ſanare, ſemper facilius eſt ; prophylaxis igitur, ſi ad hunc morbum appareat proclivitas, vel ſi in eadem domo nonnulli jam correpti fuerint infantes, ſummi momenti eſt ; optima vero conſtat in exercitio modico, diæta levi, laxantium prout res poſtulent uſu, et denique ſetaceiis aut fonticulis prope caput inſerendis.

* Vid. Quinn on Dropſy of the Brain.

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.